

ZC
831



43
1
MARGARITA.

IN SOLENNITATEM
NUPTIARVM

VIRI EXIMIA

VIRTUTIS ERVDITÆQVE DO-

ctrinæ laude CL. D. IOANNIS

KATZSCHII, Philosophiæ & artis
Medicæ Doctoris,

CELEBRATARVM
CVM

VIRGINE HONESTISS.

& pudiciss. MARGARITA, Viri inte-

gerr. Virtuteq; & sapientia ornatiss. D. IACOBI

PAVSII, laudatiss. memoriæ, Senatoris in-

clytæ reipub. Halensis Saxonum
præcipui, relicta F.

A

M. Christophoro Cæsare



BIBLIOTHECA
MUNICIPALIANA

LIPSIÆ,

Georgius Desnerus excudebat.

09 Pen 205

Zc 831 QK

1582



2

M A R G A R I T A .

Omina nominibus monuit qui certa subesse,
Creditor id vana non monuisse fide.

Fausta, sono fausto, namq̄, insunt omina faustis,
At diro, diris omina dira, sono.

Quis neget ergò, toro bona nomina ferre iugali
Sponsorum, blando gaudia longa sono?

Quid deceat vera celebrem virtute maritam,
Dulcia Margaridos nomina voce docent.

Margaris ut conchis vitreo sata rore marinis,
Præcipuè nitido clara colore placet:

Sic amor in sancta niteat quoq̄ coniuge verus,
Inq̄ virum, & socij pignora cara tori.

Mel non ore ferat placido, fel corde ferino,
Ore niues albas, corde picesq̄, nigras.

Illa suum spernat tumida nec mente maritum,
Micholuti, sterilis crimine facta suo.

Magna sed est & cum concha cognatio cæli,
Aëris hæc semen, rorem, etenim ipsa sitit.

Propterea Veneri sacra dicitur esse nitenti

Auriferis Gangis Margaris orta vadis.

Illa sciens avido qua mente petatur ab hoste,

Prouida quæstas inde recondit opes.

Eximat hic magna gemmam nisi sedulus arte,

Scissa acie cecidit mox inimica manus.

Vxori benè conueniat sic usq̄ marito

Cum fido, solum quem velit, optet, amet.

Obsequiosa nec alterius sit turpis amori,

Semper & à flammis mens aliena vagis.



Vniūq; amplexu veluti solo hæreat huius,
Cuius, ut arte, fuit conciliata prece.

Adde quòd hæc multis etiam virtutibus auèta est,
Gemma & amica animo, gemma & amica oculis.
Discutit afflièta nigricantia nubila mentis,
Toxica moxq; procul cedere dira iubet:
Sic cor, sic oculos & fida marita mariti
Recreat, & querulo corda dolore leuat.
Cumq; virum, vitæ exilio hoc, mala plurima tentent,
Addita ei coniux auxilio esse solet,
Addita ei non diuidua pars altera vitæ,
Siue serena dies, turbida siue dies.

Gemma sed hæc facili cunètis leuitate probatur,
Et minimi melior ponderis usq; manet:
Fœmina sic oneri non sit morosa marito,
Leniat at molli verba seuera sono.
Arte ferat quædam, sic & concordia crescet,
Qua demta, lectus non nisi luctus erit.

Præterea tumidis quo plus fuit acta procellis,
Purior in rapidis hoc fuit ipsa vadis:
Coniugis alma fides sic tunc magis omnibus extat,
Cum medium nubes eripit atra diem.
Nam crux quem mergit, lux hunc producit amica,
Qui latuit tenebris abditus, hic patuit.

Quanta sed hæc, quæ nos iactant, mala cunq; ferantur,
Legitimus forti pectore vincit amor.
Hinc Veneris volucris radians ea gemma vorata,
Lucida ventre magis redditur illa leui.
Chaonias verò quis significare columbas
Fœdera Coniugij consociata, neget?

Fama

3

Fama fidemq; facit, duce quòd caua concha regatur
Perpetuò certo, Cecropia instar apis:
Sic uxor ductum pia ritè secuta virilem,
Non nisi ductoris se paret arbitrio.

Hanc thalami sociam, quam nomen amabile monstrat,
Sapè tibi sancto pectore, SPONSE, petis.
Quam cupis ergò, capis: sed non cupis, hanc nisi Numen
Supremum supera tradere ab arte velit.
Qui capit hanc, Domini quam destinat alma voluntas,
Hic omni verè parte beatus erit.

Non capit, at rapit hic aliquam, sine Numine quisquis
Fædus inuit, cuncta & prosperitate caret.

Hac igitur gaude sponsa, quæ nomine spondet
Commoda, tam dulci, tantaq; totq; tibi,
Æmula quæ laudatorum probitate parentum est,
Perpetuò quorum fama superstes erit.

Omnibus ipse pater studuit prodesse nec ullum
Lædere, amare bonos, sustinuisse malos.

Plura sed an memorem, capiat cum præmia nunquam,
Eximium laudis pagina parua decus?

Quid quod & officij partem vel voce virilis
Præcipuam, Sponsi nomina læta notant?

Dicitur à dulci, grato omnibus, ipse fauore,
Qui cor mirificè demeruisse potest.

Non tantum uxori faueat: foveat vir & ipsam:

Nec tantum foveat, sed regat atq; tegat.

Sed nec & hoc satis est, sit comis, amicus, amænus,

Organa sedata languida mente ferens.

Dissimulare sciat, veniam dare sitq; paratus,

Esse suum constans qui volet imperium.

Marga-

*Margaris utq̄ acri macerata liquescit aceto,
 Sic pacem turbant iurgia crebra sacram.
 Non quisquam regere arte potest, nisi & ipse regatur,
 Et gnarus nauos sit tolerare leues.
 Hoc faciens, Reçtorq̄, domus Teçtorq̄, manebit,
 Quin cunçti solers victor & ipse mali.
 Ergò hoc, SPONSA, viro gaude, qui nomine spondet
 Commoda, tam dulci, tantaq̄, totq̄, tibi,
 Arte Machaonia pulera & virtute celebrem
 Ornauit titulis quem Basilea nouis.
 Emulus est patrie qui req̄, & nomine laudis,
 Quam cedro dignam fama loquetur anus.
 Dicere plura vetat ratio sed temporis huius,
 Claudantur voto carmina pauca breui:
 Viuite felices concordì viuite lecto,
 Quem cingat summi gratia magna DEI.
 Vincite concordēs, constanti vincite mente,
 Aduersum si quid fors malefida ferat.
 Cume & numerate dies numerate Sibyllæ,
 Ditescat gemmis & torus usq̄, nouis.*

M. Christophorus Cæsar
 aff. & Comp. S.

Esa. 44.

*DeVs ab Vtero aVXIL Iator MeVs.
 Von MVtter Leib bei DIr Ist Gott/
 Sieh nVr aVff Ihn/ hastV feIn noth.*

CARMEN

4

CARMEN ALIUD GRA-
TULATORIUM AD EVNDEM
virum Clariss. D. Iohannem Katz-
schium Medicum, Sponsum.

Hoc erat in votis: templi sacra *KATZSCHIV* Sintrans
Limina,serta nouus fulgida Sponsus habet:
KATZSCHIVS Aonidum Medicus præclarus in hortis,
Cui dotes tribuit Phæbus Apollo suas.
Quis gemma dubitet Sponsa ipsum iure potiri,
Pectora qui gemma lucidiora gerit?
Hunc ô hunc cupidi quoties optauimus, alto
Ut veheret nobis lucifer axe diem.
Vota mouent superos: nil te Saturne moramur,
Qui summo lentos conficis orbe gradus.
Errant, qui spectant rutilantis sidera mundi,
Et spes inde suas vanaq; vota trahunt.
Qui fudit Christo vel refragantibus astris,
Optatum tandem, quod volet, omne feret.
Hunc *KATZSCHIV* (memini) supplex in vota vocabas,
Ille tuas hausit, qua solet, aure preces.
Et nunc quam thalami sociam Sponsamq; petebas,
In dextram inq; animum datq; dicatq; tuum.
Nil optare potes melius: quod vincit & aurum,
Et gemmas casti munus amoris habes.
Quicquid ages posthac, quæ sumes cunq; gerenda,
Ex voto cedent omnia prona tibi.
Quid? quid nos fausto tibi quaeso precabimur ore
Iunxit amicitiae quos tibi firma fides?

Scilicet

Scilicet ex toto cum iam sis asse beatus,
Duret ut hæc vobis vita beata diu.
Ambiat amplexu tua te suavissima læto
Margaris, & figat basia mille tibi.
Qui vitæ concordis amans Deus, illud olympi
Ingens perpetua pace ligavit opus:
Et solatiolum vitæ sociamq, laborum,
Euam qui quondam iunxit Adame tibi:
Is vos conseruans animis concordibus, vltra
Sauromatas lites & mala cuncta fuget.
Idem prole domum læta fecundet, & anno
Ludat adhuc puer hoc blandulus ante patrem.
Quæ precor euenient: lux clarior æthere surgit,
Aspirant votis Phæbus & aura meis.

M. Iohannes Albinus.




Zc 831

QK

X2206873





43
1

G A R I T A .

N N I T A T E M
I A R V M

E X I M I A

R V D I T Æ Q V E D O
C L . D . I O A N N I S

I, Philosophiæ & artis
æ Doctoris,

R A T A R V M
C V M

H O N E S T I S S .

R G A R I T A , V i r i i n t e -
e n t i a o r n a t i s . D . I A C O B I
f s . m e m o r i æ , S e n a t o r i s i n -
H a l e n s i s S a x o n u m
u i , r e l i c t a F .

A
n o r o C æ s a r e



I P S I Æ,
D e f n e r u s e x c u d e b a t .

99 Pen 205